



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Theologia Moralis Universa

Jansen, Leonard

Coloniæ Agrippinæ, 1725

Casus XI. De peccatis capitalibus in genere, & de Superbia, Avaritia,  
Luxuria in specie.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39911**

## CASUS XI.

De peccatis capitalibus in genere, & de superbia, avaritia, luxuria in specie.

**L**Ampridius 1. Se aliis verbo, facto profert, dona divina, & fortunas sua attribuit industrie. 2. Pecunia nimium afficitur. 3. Minores luxurias veniale reputat. 4. Reirahit se à copulâ captâ cum virgine, filiâ confessionis, Judæâ &c. 5. Personas fatuas, ebrias, dormientes & vigilantes non clamantes opprimit. 6. Coit cum aliena sponsâ, vel sibi imaginatur alienam. 7. Turpia exercet cum sorore, affine, adoptata vel ex baptismo susceptâ. 8. Cum personâ sacra in cœmiterio, quam novit à confessario esse sollicitatam. 9. Per medicinas fatum & semen expellere nititur; 10.-11. Variis modis exponit se periculo pollutionis &c. 12.-13. Pollutionem exortam non reprimat; optat ut eveniat in somno, & de ea gaudet. 14. In confessione non explicat an se polluerit cum imaginatione vel desiderio adulterii, incestus &c. neque cum quibus personis vel instrumentis. 15. Congreditur non servato vase, sexu aut specie. 16. Cum statuâ, cum damone sub formâ hominis, bestie &c. 17.-18. Turpia audire, legere, cantare, dona amatoria, oscula, aspectus, tactus hominum & brutorum vix pro peccatis reputat. Resolutio collabitur ex seqq.

QUÆR. I. Quot & quæ sint peccata capitalia?

R. Sunt 7. Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia. Dicuntur capitalia, quia ex eis tanquam ex capite seu fonte omnia peccata dimanant. De tribus primis agendum est in casu præsentè, & de reliquis in seq.

QUÆR. II. Quid sit superbia, & quæ ejus filia?

R. 1. Superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, quo quis in donis naturalibus, vel supernaturalibus vult excellere, vel eminere super alios; est ex genere suo peccatum veniale, sæpius tamen per accidens fit mortale, ut si jungatur cum contemptu Dei, eò quòd quis velit excellere super Deum, ut Lucifer; vel æstimet aut saltem velit videri habere sua talenta vel dona non à Deo, sed à suo merito, industriâ, ingenio &c. aut jungatur cum gravi damno, scandalo vel contemptu proximi. 2. Superbia plures habet filias, nam si quis inordinatè appetat aliis manifestari propriam excellentiam, vocatur vana gloria, & si manifestatio fiat per verba, dicitur jaclantia; si per facta, ostentatio; si per aggressionem operis vires excedentis, presumptio; si ostentetur

I.

tetur

retur per falsa & ficta signa, est *hypocrisis*. Si quærat excellentia in honoribus vel dignitatibus non debitis vel debito majoribus, *ambitio*. Dixi appetitus inordinatus, nam velle excellere, secundum se est indifferens, & si fiat ex honestâ causâ, v. g. ad Dei gloriam, proximi salutem, aut tuendam propriam famam, potest esse honestum & meritorium: igitur ut appetitus excellentiæ sit propriè superbia, debet ordinari ad propriam complacentiam.

2. QUÆR. III. Quid & quale peccatum sit avaritia?

R. Est inordinatus appetitus bonorum temporalium, seu immoderatus amor, cura & sollicitudo ea acquirendi, conservandi vel augendi, per se est tantum veniale, fit per accidens mortale, si impediatur eleemosynam urgente gravi præcepto; solutionem debiti vel observationem alterius præcepti graviter obligantis. Filii ejus sunt fraus, violentia, proditio, furtum, perfidia, oppressio pauperum, uno verbo omnis injustitia, nam *avaritia nihil scelestius, & nihil iniquius quam amare pecuniam*. Eccl. 10.

3. QUÆR. IV. Quid & quotuplex sit luxuria?

R. I. Est inordinatus appetitus delectationis venereæ quæ fit cum commotione spirituum generationi subservientium circa partes corporis genitales: est semper peccatum mortale, non tantum quoad illicitam effusionem seminis, sed etiam quoad quamcunque delectationem voluntariè admissam, hic enim non datur par-

tas materiæ, ut habet *communis*, & Ratio est, quia quævis oblectatio venerea est excitativa spirituum genitalium, ideoque ex naturâ suâ tendit ad expulsionem seminis, estque aliqua ipsius inchoatio continuo disponens ad majorem, & majorem delectationem: Dico *venerea*; quia delectatio merè sensualis quæ oritur ex proportionem rei tactæ ad organum tactus sine commotione spirituum venereorum, ex genere suo est tantum veniale, ut si quis attingat alterius manus, faciem, vel atrectet & osculetur infantem propter delectationem in teneritudine & mollitiè carnis infantilis, secluso periculo delectationis venereæ.

2. *Species luxuriæ* aliæ sunt naturales, in quibus scilicet servantur conditiones à natura institutæ, puta diversitas sexus, vas debitum & identitas speciei, quales sunt fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, &c. aliæ sunt innaturales seu contra naturam, in quibus sexus, vas vel species debita non servatur, ut pollutio, sodomia, bestialitas.

3. *Fornicatio* est concubitus personæ solutæ cum soluta, soluta dicitur quæ nec matrimonio, nec voto continentie est astricta: est intrinsecè mala & peccatum mortale, ut certum est ex Concilio *Vienn.* & *Florent.* item ex Prop. 48. ab Innoc. XI. damnata: *Tantum clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.* Per sæpe habet adjunctas alias malitias,

H 2

ut

ut 1. Si non seruetur debitus modus & situs, quod citra periculum pollutionis est tantum veniale. 2. Si quis cœptâ copulâ se retrahat ad impediendam generationem prolis, triplicem admittit malitiam specialiter explicandam, scilicet fornicationem inchoatam, mollitiem consummatam & intentionem positivè impediendi prolem: qui vero pœnitentiâ ductus se retrahit, & sic in se & in alio pollutionem admittit, non peccat, potest enim & debet se retrahendo peccatum cœptum non continuare. 3. Euriuchus habens copulam tenetur suum statum exprimere, cum enim non habeat verum semen, inutiliter provocat semen fœminæ. 4. Fornicatio prima juxta *D. Th.* distinguitur specie à sequentibus, quia specialiter opponitur virginitati; at communior docet non distingui, ideoque non teneris in confessione exprimere, an tu vel illa cum qua peccasti, fuerit virgo, nisi usus fueris vi vel dolo; quia utrobique est eadem malitia; utraque sententia est tuta & practice probabilis, *Lugo, Dicast. d. 9. à n. 427.* 5. Fornicatio cum filia confessionis per se non importat novam malitiam nisi confessarius in Sacramento vel ejus occasione (eo quod ex confessione adverterit eam ad peccandum facilem) sollicitet vel familiariter agere incipiat, aut illum in finem munus confessarii assumat tunc enim accedet species sacrilegii in confessione explicanda; quia fit gravis irreverentia Sacramento, *Vasq. Bonac. Dicast. Dian. p. 1. t. 7. R. 12.* Qualiter peccet, & se explicare debeat qui alium

ad fornicandum inducit, dicam *cas. 19.*  
6. Fornicatio cum infideli non habet malitiam specialem saltem gravem, & necessario explicandam, quia non satis apparet unde hæc desumi debeat, & quamvis Ecclesia in reverentiam Fidei & Baptismi prohibuerit cum infidelibus matrimonium, nulli tamen prohibuit fornicationem, & in odiosis non est facienda extensio: in matrimonio est alia ratio prohibendi scilicet periculum perversionis ob individuum vitæ societatem, quod locum non habet in fornicatione.

4. *Stuprum* est copula fœminæ violenter illata: malitiæ fornicationis superaddit gravissimam injustitiam & injuriam personæ oppressæ illatam; qualem etiam committit qui cognoscit personam fatuam, ebriam, vel dormientem sine prævio ebriæ vel dormientis consensu: huc reducitur raptus seu violenta abductio personæ in ordine ad complendam libidinem vel contrahendum matrimonium; fœmina oppressa tenetur omni modo conari ut semen non recipiat; item clamare si utiliter possit absque periculo vitæ vel gravis infamiæ, aliàs enim cooperatur alterius peccato, quamvis in delectationem carnalem forte non consentiat, quod raro continget, nisi se pro possibili defendat & obfirmatum fervet animum non consentiendi.

5. *Adulterium* est violatio alieni tori, peccatum gravissimum contra præceptum 6. & 9. Decalogi. Aliud vocatur *reale*, estque ipse concubitus cum

cum non sua; si uterque sit alterius tori, erit adulterium duplex in confessione explicandum. Ad quid autem teneatur adulter, & adultera si proles nata fuerit, dicam *cas. 43. n. 18.* Sponsa vel sponsus peccantes cum alieno vel aliena probabiliter admittunt simplicem solum fornicationem, quia per sponsalia necdum traditum est jus in corpus, ergo non peccatur contra iustitiam, & sicut qui vovit intrare religionem, si fornicetur, non peccat contra votum castitatis, quia illud necdum emisit sed emittet, sic nec hi contra jus sponsi vel sponsæ, quia nondum jus in corpus alterius habet, sed habebit per futurum matrimonium. *Bonesp. Covar. Dian. p. 1. t. 7. R. 5. Illung t. 4. d. 1. num. 85.* Adulterium mentale est quando conjux desiderat vel concupiscit alienum vel alienam: Si morosè delectetur de copula imaginata cum non suo, *Vasq.* dicit addi novam speciem contra fidem matrimonii, quia circumstantia tenens se ex parte personæ peccantis refundit malitiam suam etiam in delectationes morosæ; ideo enim omnis morosa delectatio venerea in religioso vel sacerdote habet speciem sacrilegii, ergo in conjugato est contra fidem & statum matrimonii. E contra *Huriado* putat non peccare contra fidem matrimonii, quæ tantum obligat ad non locandum corpus alteri, non vero mentem. Uterque ut vides, probabiliter.

7. 6. Incestus est peccatum luxuriæ exercitum inter personas conjunctas sive per copulam, sive per tactus,

oscula impudica &c. Ideoque in confessione non sufficit dicere: turpiter tetigi, osculatus sum &c. sed addi debet, personam consanguineam. Conjunctio autem est quadruplex, prima oritur ex sanguine & dicitur *consanguinitas*, hæc peccatis luxuriæ superaddit malitiam incestus probabiliter inter omnes af- & descendentes & inter collaterales usque ad 4. gradum inclusivè. Secunda oritur ex copula carnali & dicitur *affinitas*, hæc ex copula maritali & licita superaddit malitiam incestus utque ad 4. gradum, ex illicita usque ad secundum inclusivè. Tertia provenit ex adoptione perfecta & vocatur *conjunctio legalis*. Quarta oritur ex Sacramento Baptismi & Confirmationis, ideoque vocatur *conjunctio spiritualis*; hæc omnes conjunctiones superaddunt peccatis luxuriæ malitiam incestus respectu omnium personarum, inter quas vel jure naturæ vel ex lege Ecclesiæ prohibetur matrimonium, hinc etiam qui peccat cum sorore sponsæ suæ, incestum committit, quia inter hos prohibetur matrimonium & copula, & statuitur impedimentum publicæ honestatis ob reverentiam conjunctis debitam; e contra si fornicatus cum Caja postea forniceris cum Cajæ consanguinea in tertio gradu, non committis incestum, quia ex copula fornicaria non oritur impedimentum nisi ad secundum gradum, *Lugo, Oviedo, Sanch. de matr. t. 7. d. 67. 2.* Quo gradus est proximior, eo incestus est gravior, & quamvis probabile sit omnes ince-

H 3 stus

stus inter consanguineos, affines, & conjunctos legaliter in quocunque gradu esse ejusdem speciei; eo quod videantur prohiberi ex eodem motivo reverentia personis conjunctis debita, & per consequens non esse opus exprimere an cum consanguinea vel affine, aut in quo gradu incestum commiseris; probabilius tamen explicandus est in affinitate gradus primus, in consanguinitate primus & secundus, quia in his gradibus malitia est saltem notabiliter major, si non specie distincta, quia longè alia reverentia debita est matri, quam sorori aut remotioribus consanguineis, & longè fœdior matris & sororis quam aliarum violatio, & primus gradus jure naturæ dirimit matrimonium, non ita alii. Ideoque ad minus moraliter mutatur species secundum dicenda *cas. 97. num. 20. 3.* Distinctè explicandus est incestus spiritualis, utpote specie distinctus ab aliis incestibus, prohibetur enim ex distincto motivo scilicet in reverentiam Sacramenti Baptismatis vel Confirmationis, ideoque adjunctam habet malitiam sacrilegii; non tamen opus est dicere an cognatio orta sit ratione Baptismi an Confirmationis, neque an peccaveris cum filia baptismi an cum ejus matre; quia cum sit contra eandem reverentiam debitam personis ratione Sacramenti conjunctis, manet eadem species, *Sanct. d. 5. n. 9.*

8. 7. *Sacrilegium* in materia luxuriæ committitur dupliciter: primò per violationem voti continentia sive in se, sive in alio, quocum venere

peccatur, nec opus est exprimere, an votum sit solenne, an simplex, an peccans sit Subdiaconus, an Sacerdos, Episcopus vel Religiosus, *Sanct. Dicast. à num. 306. Steph. t. 1. d. 5. num. 58.* Quia his omnibus prohibetur luxuria ex eodem motivo voti. Si Religiosus peccet cum Religiosa, vel voto astricta, duplex uterque sacrilegium admittit in confessione explicandum, quia uterque violat votum in se, & in alio. *Secundo* per voluntariam effusionem seminis in loco sacro, id est, in templo, sacello vel cimiterio ab Episcopo consecratis vel benedictis; excipiunt AA. communiter actum conjugalem à conjugibus in loco S. diu inclusis ex necessitate ad evitandum periculum incontinentia exercitum. Huc reducitur sollicitatio ad turpia, facta in confessionali vel intuitu confessionis etiam non secute vel tantum simulate, quæ est gravissimum sacrilegium contra reverentiam Sacramenti sub gravissimis pœnis à Pio IV. & Gregor. XV. prohibita obligans sollicitatos sub excommunicatione ad denunciandos Episcopo sollicitatos. Sed has Constitutiones sub tanto rigore apud Germanos non esse receptas testatur *Spor. Theol. sacr. p. 4. c. 3. n. 622.*

8. *Pollutio* seu mollities est effusio seminis extra concubitum: circa hanc tenenda sunt sequentia: 1. Nullo casu ne quidem ad servandam vitam licitum est per quamcunque causam querere, intendere vel procurare pollutionem, & sic quaesita vel intenta est peccatum mortale contra naturam,

ram, habet enim intrinsecam repugnanciam cum naturâ, quæ per emissionem feminis intendit generationem prolis, idem est de turpibus moribus quæ sunt inchoata mollities vel fornicatio, item de directâ expulsionem fœtus et si nondum animati, quia est expulsio duplicis feminis, & ob diversas medicorum sententias fere semper est dubium quando fœtus animetur, & per consequens erit periculum occidendi corpus & animam fœtus, *Less. contra Sanch. V. cas. 33, à num. 14.* Licitum tamen est per medicinam directè expellere semen corruptum, et si per accidens simul effluat semen verum, quia semen corruptum non est amplius semen, sed humor noxius: id tamen non licere per tactus seu fricationem verendorum docet *Sporer n. 643.* Quia ejusmodi tactus vel confricatio per se, & ex naturâ suâ tendunt ad provocandum verum semen, & per accidens solum juvant educere semen corruptum. Aliud est de fricatione quæ fit non ad expellendum semen sed ad depellendum molestum pruritus, et si per accidens exsurgant motus. 2. Circa pollutionem vel motus per accidens secutos, id est, prævisos sed non intentos accipe hanc regulam: *Si actio ex qua prævidetur motus vel pollutio, multum disponat, seu ex natura sua notabiliter influat in motus vel pollutionem, veluti omnes actus veneri mortaliter mali, turpes tactus, aspectus, oscula, delectatio morosa de concubitu, tunc non tantum causa motuum, sed & ipsa motio, & pollutio sunt mortale.* *Sylv. Rosmer. Laym. Mezger.*

*Sanch. L. 9. d. 45. Less. L. 4. c. 3. dub. 14. à num. 100. Spor. num. 645.* Ratio est, quia lex naturalis prohibens pollutionem etiam obligat ad non ponendas causas per se, & notabiliter influentes, & qui vult ejusmodi causam, hoc ipso vult effectum connaturaliter conjunctum. 3. *Si actio tantum per accidens, remote, & non notabiliter ad turpes motus vel pollutionem disponat, pollutio prævisa, & non intenta, dummodo absit periculum consensus, non est mortale, sed aliquando veniale, ut statim dicam: Ratio est, quia per se non est obligatio gravis ad evitanda pericula vel causas planè remotas, ex quibus per accidens præter intentionem, & magis ex naturæ infirmitate quam ex positis causis mali effectus proveniunt.* *A. A. cit. & Mendo d. 5. n. 11. 4.* Si actio ex qua prævidentur motus vel pollutio, sit venialiter mala, ut curiosus aspectus, verbum turpe, vana confabulatio cum dispari sexu, aut etiam actio extra materiam luxuriæ mortaliter mala, ut esus carniū die Veneris, ebrietas &c. Pollutio prævisa est tantum venialiter mala, quia tantum videtur esse levis deordinatio contra castitatem sine justa causa ponere aliquid etiam remote disponens ad pollutionem; si vero dispositio in se non sit mala, vel sit justa causa eam ponendi, ut aspectus, tactus, oscula, amplexus honestatis causâ, & obiter ex more patriæ, vel causâ necessitatis ad medendum, vel naturam sublevandam facta, item studere casibus veneris, audire confessiones, edere calida, choreas honestas

stas ducere, commodo situ in lecto jacere, & similia, cum plerumque ad sit rationabilis causa necessitatis, vel utilitatis, omni culpâ vacant, etsi per accidens citra periculum consensus sequatur pollutio. 5. Qui ante somnum per tactus, aspectus vel imaginationes turpes intendit in somno pollutionem, præter malitiam tactui vel cogitationi propriam etiam contrahit malitiam pollutionis in confessione explicandam; si vero non intendat sed prævideat pollutionem in somno orituram, iterum videtur peccare peccato pollutionis, si imaginatio sit vehemens, vel experienciâ constet ex simili tactu vel aspectu pollutionem nocturnam sequi: tunc enim & non aliâs videntur hi actus in pollutionem notabiliter influere; quis enim credat ex omni tactu, vel affectu turpi obiter, & diu ante somnum habito semper prudenter timeri posse pollutionem nocturnam? 6. Pollutionem in somno vel aliter exortam non teneris cohibere vel reprimere manibus, hoc enim vel est inutile, vel sanitati aut etiam castitati periculosum, obligaris tamen elicere internam displicentiam, & phantasiam quantum potes, ab objecto turpi avertere ob periculum consensus *Sanch. sup. d. 17. num. 16.* 7. Quamvis illicitum sit delectari de pollutione secundum se, vel optare ut in somno eveniat, ob conjunctam delectationem, ut cum communi docet *Sanch. in dec. L. 1. c. 2. n. 16.* tamen non videtur illicitum gaudere de bono effectu, v. g. sanitatis vel mitigatæ concupi-

scientiæ secuto ex pollutione involuntaria, vel etiam simplici affectu citra omnem cooperationem optare non tam pollutionem quam ejusmodi effectum ex pollutione. *Si dicas:* non est licitum optare vel etiam gaudere de morte naturali alterius ob bonum temporale, v. g. hæreditatem inde consecutam, uti certum est ex Propositionibus 13. & 15. ab Innoc. XI. damnatis; ergo nec licitum est gaudere, vel optare pollutionem involuntariam prout conjunctam cum effectu bono. *æ. Distinguen- do C.* Ergo non est licitum gaudere, vel optare pollutionem ita ut objectum gaudii vel desiderii sit delectabilitas pollutionis, C. ita ut objectum gaudii sit solus effectus inde secutus, N. Deinde mors naturalis est grande malum Physicum, quod optare propter solum lucrum temporale est contra charitatem, aliud est si optaretur ob bonum spirituale proximi; è contra emissio seminis ex causâ naturali non est malum Physicum neque individuo, neque speciei humanæ, cum sit quid superfluum, quo se natura exonerat, aut saltem est malum tam leve ut ob utilitatem etiam privatam permitti possit. *Sanch. sup. d. 45. num. 14.* 8. Pollutio sæpe adjunctas habet alias specie malitias, v. g. fornicationis, si scilicet polluens sibi imaginetur copulam cum fœmina in genere, vel cum ligata non ut ligata sed ut formosa; si vero accedat desiderium, etiam circumstantiæ suam refundunt malitiam, ut dixi *cas. 9. num. 4. & 11.* 9. Polluens non



non tantum tenetur exprimere qualitatem suae personae, sed & personae à se polluta, quia pro qualitate personae variatur species peccati ad quam ipse cooperatur, & quidem polluens se ad foemina, vel cum foemina, plerumque in affectu committit fornicationem: si cum persona ejusdem sexus cum affectu ad personam, est sodomia, non tamen est opus explicare instrumentum inanimatum quo quis se vel alium polluit; secus si pollutio fiat in os alterius, ibi enim est specialis dedecentia ad naturam rationalem eam deprimens etiam infra conditionem bestialem. 10. Quae dicta sunt de pollutione, cum proportione intelligenda sunt de distillatione, quae est effusio humoris cujusdam medii inter urinam & semen, fitque ordinariè cum minori sensu voluptatis quam pollutio, imo quandoque cum nullo, & tum (quamvis adlit levis erectio genitalium) non esse peccatum, nec majorem ejus curam esse habendam quam sudoris, dicunt plures apud *Sanch. num. 2.*

15. 9. Sodomia alia est perfecta, alia imperfecta; perfecta est concubitus ad sexum non debitum, ut viri cum viro, foeminae cum foemina, unde patet ad sodomiam non requiri seminationem in vas praeposterum, alias enim mulier cum muliere sodomiam exercere non posset, cum neutra seminet intra vas praeposterum, sed utriusque semen intus defluat in matricem: quod si mas seminaret in vase praepostero maris, deberet in confessione probabilius ex-  
*R. D. Jansen Pars 1.*

primere, an fuerit agens an patiens; nam agens dispergit semen, non patiens. Sodomia imperfecta est concubitus cum diverso quidem sexu, sed cum affectu ad vas praeposterum; est species distincta à sodomia perfecta, ideoque & distinctim exprimenda: utraque potest adjunctam habere speciem adulterii, incestus, sacrilegii, prout una vel utraque persona est matrimonio vel voto ligata, consanguinea, vel affinis, & si quis exercet sodomiam vel pollutionem cum uxore, non sufficit dicere: cognovi conjugatam in vase praepostero, quia tunc confessarius judicabit eum alteri marito fecisse injuriam, quod fallum est, sed debet dicere: sodomiam, vel pollutionem exercui cum propria uxore, intellige si habeat confessarium ignotum, nam probabiliter non tenetur suam uxorem infamare. Sed quid si quis coeat cum statua? R. Si coeat cum affectu ad personam humanam, committit fornicationem, vel sodomiam, prout affectus fertur imaginariè in personam ejusdem vel alterius sexus; si cum affectu ad bestiam, cujus v. g. statua imaginem gerit, in affectu bestialitatem committit.

10. Bestialitas seu coitus hominis cum bruto est nefandum scelus, jussu Dei in homine, & bruto sceleris locio flammis expiandum *Lev. 20.* Non tamen opus est exprimere in confessione, qualis sit bestia, an ovis, capra vel equa. Huc reducit *D. Th.* concubitus cum daemone incubo vel succubo, qui peccato contra naturam superaddit speciale peccatum contra Re-

16.

I ligio-

ligionem, eo quod sit turpe commercium cum Dei & omnium nostrum infensissimo hoste, in quo præterea explicandum, an dæmon fuerit sub specie viri, vel fœminæ, aut sub forma conjugatæ, monialis vel consanguineæ, toties enim in affectu præter bestialitatem nova admittitur malitiæ species. Communiter autem hîc monent DD. confessarium non debere esse nimum in examinandis peccatorum carnalium circumstantiis, ne sibi vel pœnitenti sit occasio turpis consensûs.

17. QUÆR. V. Quid circa gestus, tactus, oscula, verba & similes actus luxuriæ imperfectos?

R. *Sequentia.* 1. Legere, loqui, cantare, audire turpia; item gestus, literæ & dona amatoriæ, si non fiant animo provocandi ad libidinem, sed ex levitate, curiositate, vel vano solatio, per se tantum sunt venialia, valde tamen periculosa; & in iis qui gaudent metaphoris rerum turpium, qui dicta in sensum turpem facile detorquent, de partibus verecundis, & huc pertinentibus libenter loquuntur, sunt signa latentis libidinis, & peccati plerumque mortalis, quia tales non solent tam de modo scribendi, loquendi, cantandi turpia, quam de ipsis rebus turpibus delectari, quod semper mortale est. 2. Actus de objecto valde turpi, ut tactus, & aspectus nudus, & fixus verendorum disparis sexûs, concubitus humani &c. semper sunt mortale, quia proximè, & per se disponunt ad motus, & delectationes turpes, nisi fiant à chirurgo vel me-

dico ex causâ medendi, absque periculo tamen consensûs. Econtrâ seipsum vel alterum ejusdem sexûs, vel etiam infantem disparis sexûs ex curiositate aut petulantia obiter, v. g. lavando, natando circa hæc tangere vel aspicere citrà affectum, & periculum consensûs venerei, est tantum veniale, *communis* cum *Laym.*; quia hæc non ita ad libidinem provocant. Idem *Sanch.* & alii communiter extendunt ad tactum alterius sexûs super vestes, si fiat scilicet ex petulantia, aut levitate: quamvis hîc putem esse majus periculum. Molliter tractare, & demulcere caretos aliaque animalia, ordinariè non excedit veniale: merito tamen *La Croix L. 3. p. 1. num. 903.* dicit esse periculosum ita ea tangere ut effluat eorum semen, eo quod facile se ingerat delectatio venerea, & quidem si fiat affectu libidinoso, erit inchoata bestialitas. 3. Oscula, amplexus, tactus uberum, non tantum si fiant ex affectu delectationis venereæ, sed etiam tunc, quando fiunt ex delectatione sensuali absque alio honesto fine, sunt peccatum mortale, & quamvis oppositum possit specularivè defendi, in praxi tamen locum non habet. *Sanch. Laym. Sporer num. 351. S num. 687. La Croix num. 894.* Tum quia delectatio sensibilis in hujusmodi objecto sponte quaesita per se, & naturaliter trahit commotionem spirituum genitalium, & quidem ita vehementer, ut experienciâ constet plerumque non sistsi in delectatione sensibili, sed ob nimiam potentiarum sympathiam sæpissimè, idque maximè

inter

inter personas sensualiter se amantes emergere delectationem veneream : tum etiam propter Propof. 40. ab Alex. VII. damnatam, quæ sic habet : *Est probabilis opinio, quæ dicit tantum esse veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris & pollutionis.* Idem à priori dicendum de osculis & amplexibus quæ furtivè, cum mora & ardore repetuntur. Osculari partes pudendas ejusdem vel alterius sexûs videtur habere specialem turpitudinem in confessione explicandam ; quia specialiter dedecet naturam rationalem.

4. Si verò oscula, amplexus, contre-

stationes manuum fiant ex honestâ causâ ad ostendendam amicitiam, ad fovendum amorem in ordine ad honestum matrimonium, quamvis per accidens forè prævideantur motus carnales, modò absit periculum consentiendi, non sunt peccatum ; at si fiant ex levitate, joco aut petulantia, secluso periculo consentiendi in motus vel delectationem veneream, sunt tantum venialia : ex his per se præter casûs resolutio, nec operæ præmium judico eadem hic repetere, jam enim ad nauseam turpibus sum immoratus.

## CASUS XII.

## De Invidia, Gula, Ira, Acedia.

**M**Orphorius 1. *Multum cruciatur quod amulus officium, virginem adamatam sibi præripuerit, quod honoretur, ametur.* 2. *Ex sola voluptate edit, bibit.* 3-4. *Convivia, in quibus sæpe inebriatus est, non vitat, quia tantum ebrius fit, dum exit in aërem.* 5. *Tabacum sumit, & se gyrat usque ad turbationem capitis.* 6. *Bibit, usque dum fiat impotens incedere, familiam dirigere, non absque capitis, & podagra doloribus, ac debilitatione stomachi.* 7-8. *Se inebriat, ut non incurrat offensam compotatoris ; ne ad duellum provocetur, diffametur.* 9. *Ut conservet sa-*

*nitatem, vel vitam.* 10. *Ut non sentiat dolores podagra, abscissionem pedis, ut expellatur venenum &c.* 11. *Socium ad largiores haustus animat, semipoto propinat, & bibere cogit.* 12. *Alios, ne sibi noceant, ne secretum prodant, inebriat.* 13. *Ebrius blasphemat, furatur, alios ad compotationes inducit cum dispendio rei domestica.* 14. *Pueros & stultos inebriat, utque fortius bibere possit, pharmaca sumit. ibid. In eos qui potum dehortantur, mirum incandescit cum meditatione vindictæ.* 15. *Remedia salutis nauseat.* 16. *Doletque se esse natum, baptizatum &c. Pro resol.*

I 2

QUAR.